

Memòries de l'Acadèmia Mallorquina d'Estudis Genealògics, Heràldics i Històrics

Primera època
Tom 1-4
1953 -1955



Edició facsímil
Any 2000

Testamento otorgado por el Sr. D. Guillermo de Puigdorfila a 4 noviembre 1306.

*Sacado de una copia auténtica en pergamino
del Archivo del Conde de Olocau*

Cum voluntas hominis sit ámbulatoria usque ad extremum vitae exitum, et ego *Guillelmus de Podio-Orphila de Coquo-librio* condivi meum testamentum in posse scriptoris vallis Perpiñanii, quod fuit laudatum per Petrum de Podio-Orphila legum doctorem nunch electum in Episcopum Palentinum, et Sacrosantae Romanae Ecclesiae Vice Cancellarium, et Selarmondam filios meos: fuit etiam laudatum et corroboratum per Exellentissimum Dominum meum Domnum Jacobum Dei Gracia Regem Majoricarum, Comitem Rossillionis, et Caeritaniae et Dominum Monpallerii: et sigillo suo majori pendenti cereo vigillatum. Et velim ex certa scientia ipsum testamentum penitus revocare et annullare, et aliud de novo facere testamentum. Idcirco in Dei nomine in meo bono sensu, et plena memoria hoc meum facio testamentum, in quo omnia bona mea mobilia, et immobilia scripta, et ordinata reperiantur.

In primis eligo sepulturam meam in Simiterio fratrum predicatorum de Coquolibrio, si in terra Rossillionis, vel Vallaspirii me mori contigerit. Porro si alibi in loco, sive terra in quo, sive qua Domus, sive Conventus fuerit fratrum Praedicatorum me mori contigerit ibidem Corpus meum ordino, et mando sepeliri, et tamdiu ibidem Cadaver meum jaceat sic sepultum donec incineratum fuerit; Ita quod postea ossa mea extumulentur inde per Guillelmum, et Jacobum, et Arnaldum filios meos vel alterum eorundem, et exportari faciant suis expensis ad domum fratrum Predicatorum Coquolibrii, et ibi eadem ossa dentur perpetuae sepulturae. Et lego in primis Silarmondæ filiae meae Vxori Raymundi Rubei de Perpiñano jure institutionis et nomine hereditatis suae duodecim millia solidorum monetae Valentiae, CCXXX

Marcha argenti fini, quae ego sibi dedi tempore nuptiarum suarum, et dicti Raymundi Rubei mariti sui, et ipsa ea dedit et constituit in dotem dicto marito suo, ut in Scripturis nuptialibus inter eam et dictum maritum suum factis, plenius et melius continetur.

Item lego eidem Vilarmondae jure institutionis et nomine haereditatis suae... millia solidorum, quae sibi similiter dedi, et tradidi constante matrimonio inter ipsam, et dictum maritum suum, ut illa haberet tamquam bona parafarnalia, ut in instrumento recognitionis modo per eam mihi facto continetur.

Item lego eidem Vilarmondae filiae meae jure institutionis et nomine hereditatis suae quatuor millia solidorum Barchinonensium, quae sibi solvantur, et tradantur ei, voluntati suae per heredes meos post finem meum de bonis meis, per manumissores meos infrascriptos.

Item lego eidem filiae meae jure institutionis, et nomine hereditatis suae in tota vita sua tantum Vigintiquinque libras Barchinonenses censuales, quas recipio quolibet anno in quodam hospitio, et operatoriis sibi contiguas, quae sunt in Villa Perpiñani quae tenent et possident Maria Uxor N. Petri Sagarij, et Jacobus N. habitatores Perpiñani, et affrontantur ex duabus partibus in viis publicis et ex alia in parairia, et in his, quae superius eidem filiae meae lego, ipsam mihi haereditatem instituo.

Post mortem vero ipsius filiae meae dictae viginti quinque librae censuales libere revertantur dicto Petro de Podioorfila filio meo et suis. Et volo ipsam filiam meam esse contentam de omnibus bonis, et juribus meis, et omnibus bonis quae fuerunt Astrugae matris suae, uxoris meae qm. ita quod in ipsis, nihil aliud petere, vel exigere possit aliqua causa vel ratione. Quod si faceret, volo quod illud quod ipsa plus juste petere posset in bonis meis, et in bonis, quae fuerunt dictae matris suae habeat in, et de censibus, et foris capiis, quos, et quae habeo et percipio in Villa Perpiñani, et in, et de hospitibus, quae habeo apud Monpellerium, et dictus Petrus filius meus, et heres meus infrascriptus teneatur satisfacere eidem filiae meae. Sororii suae, et heredibus suis, in eo quod ipsa plus juste petere posset in bonis meis, et in bonis quae fuerunt dictae matris suae, et non alii heredes mei.

Item lego postumis nascituris ex me, et Alamanda uxore mea, sive fuerint masculi, sive feminae, cuilibet eorum jure institutionis, et nomine hereditatis suae septem millia solidorum, et ultra victum et vestitum suum bene et honorifice, quousque fuerint etatis quindecim annorum, quae victum et vestitum teneantur eis prestare, et dare dicti Guillelmus, et Jacobus, et Arnaldus filii mei.

Item recognosco me habuisse, et recepisse ab Alamanda Uxore mea, dotem suam contentam in instrumento nuptiali inter me, et ipsam facto. Et lego sibi ad omnes suas voluntates totam donationem propter nuptias a me

sibi factam, et contentam in dicto instrumento nuptiali, et amplius lego eidem uxorii meae loco, et vice illius donationis, quam sibi feci de Utensilibus, et Supellectilibus, sicut in praedicto instrumento inde facto continetur, tertiam partem omnium pannorum, et aesiuarum ferri, et fusticupri, et terrae, et Vaxellae meae argenti quos et quae tempore mortis meae habuero ubique, exceptis vaxella mea dinaria, et pannis, quos tunch haberem causa mercandi, navigiis, et vestibus meis, et etiam asinis, et pannis, quos habuero tempore mortis meae apud Sanctum Ciprianum, et Villam Claram, et in Alcaria mea de Beniatar, et in Alcaria mea, quam ego teneo ad manum meam, quae est de Cavalleria quam emi in regno Majoricarum, quae fuit ordinis Sti. Sepulcri, quae Alcariae sunt in Regno Majoricarum, itaquod non possit petere predicta contenta in dicto instrumento donationis a me sibi factae nec alia in ipso instrumento contenta. Et habeat predictam tertiam partem predictorum loco, et vice contentorum in dicto instrumento donationis ut dictum est.

Item lego eidem Uxori meae in tota vita sua tantum, duas Botigas, quae fuerunt Bernardi Rogerii qm. quas habeo in Civitate Majoricarum in Carreria majori, et tenentur pro hospitali Sancti Joannis Hyerosolimitani, et omnes census, quos recipio in domibus, quae fuerunt Bernardi, vel Petri de Vico, quae sunt in Civitate Majoricarum in partita Domini Nuñonis quondam prope Darrassanam, et tenentur pro Domino Rege Majoricarum.

Item omnes census, et foris Copia, quos, et quae recipio in Castro, et Villa, et Barriis de Coquolibrio, quos omnes census, terremirra, jura, et foris Copia, quos et quae habeo, et recipio in Villa, et terminis de Argilariis.

Item omnes illas mansatas quae sunt in Valle de Bajulia de Mauritio, quas emi á Monasterio de Laconio.

Item Usumfructum Alcariae meae Vocatae Benimala, Benicastell, quam habeo in Regno Majoricarum in Bajulia dicta in terminis de Campaneto, quae fuit Dominae Blanchae de monte Cataloniae quondam, et omnium jurium, et pertinentiarum et bonorum ejusdem Alcariae: ita tamen quod ipsa Uxor mea dictum Usumfructum dictae Alcariae non habeat, nec recipiat, donec Legata, et debita mea sint plenarie persoluta, adquae solvenda, cedant fructus, et redditus ipsius Alcariae, et solutis dictis legatis, et debitis, dicta Uxor mea habeat in continenti, et sua propria autoritate possit accipere dictum Usumfructum.

Item lego dictae Uxori meae in Vita sua tantum quemdam hortum, quem habeo in terminis de Coquolibrio, cum terrella sibi condigna; et affrontatur ex una parte in re propria, et ex alia in tenentia Joannis Cordaverd; Ita quod cum ego in hoc meo testamento, dictam Uxorem meam faciam tutricem, et Curatricem Jacobi et Arnaldi filiorum meorum mihi, et sibi Communium, Volo quod ipsa habeat Victum et Vestitum, et omnia necessaria sua, bene et honorifice de bonis dictorum Jacobi et Arnaldi

filiorum meorum et suorum et quamdiu ipsa habebit Victum, et vestitum, et omnia necessaria sua, de bonis praedictis, nolo quod habeat, nec teneat dictas Botigas, nec pensiones earum, nec dictos census, quos recipio apud Majoricam, nec Usufructum dictae Alcariae, de Benimala, o de Benicastell, sed teneat, et recipiat predictos census, et foris capia de quocolibrio, et predictos census foris capia et alia jura quos, et quae habeo, et percipio, in Villa et terminis de Argilariis, et usumfructum dictarum Mansatarum de Bajulia in continenti me mortuo, licet haberet dictum Victum et Vestitum et alia necessaria sua de dictis bonis licet moraretur cum dictis Jacobo et Arnaldo filiis meis. Et si contingeret, quod dicti Jacobus, et Arnaldus filii mei essent aetatis quatuordecim annorum, et ipsa Uxor mea nollet, vel non posset morari cum dictis Jacobo et Arnaldo filiis meis, et suis, in illo casu, volo quod habeat et teneat quamdiu vivet, dictas Botigas, et dictos census, quos recipio in dictis Domibus quae fuerunt dicti Bernardi, vel Petri de Vico, et dictam Alcariam de Benimala, ó de Benicastell, cum pertinentiis suis in tota Vita sua. Post mortem vero dictae Uxoris meae in continenti predictae Botigae et omnes praedicti census, quos recipio in dictis Domibus, quae fuerunt dicti Bernardi, vel Petri de Vico, libere revertantur Arnaldo filio meo, et suis; et dicta Alcaria cum pertinentiis suis libere revertatur dicto Guillermo filio meo, et suis, et omnes dicti census, et foris Capia, quae et quos habeo, et percipio in dictis Villis, et terminis de Argilariis, et Coquolibrio, et alia jura omnia, quae habeo, et percipio in dictis terminis de Agilariis, et dictae Mansatae, et dicti hortus cum terrella predicta, libere revertantur dicto Jacobo filio meo, et suis.

Item lego eidem Uxori meae si contingeret quod ipsa nollet stare cum dictis Jacobo, et Arnaldo filiis meis et suis, vel altero eorum, et vellet stare sine marito invita sua, usum, et habitationem medietatis ospitii mei de Coquolibrio, in quo ego habito cum ea, exceptis cellario, et tinario, quae alteri medietati ipsius ospitii retineo, et post mortem ejus, dicta medietas ipsius ospitii revertatur dicto Jacobo filio meo, et suis.

Item lego eidem Uxori meae omnes Vestes, et Jojas suas, quas ego sibi feci, et emi, et contemplatione mea habuit.

Item lego eidem Uxori meae ad omnes suas voluntates perpetuo facien- das omnes oves meas, cum fetibus earum, et omnes mutores meos, quos et quas tempore mortis meae habeo in Diocesi Elnae, et omnem lanam meam filatam, et non filatam exceptis pannis jam factis de lana mea.

Item volo et mando quod dicta Uxor mea teneat, et possit tenere quoddam Corralum, quod habeo in Castro seu terris de Villa clara in quo jacent nunch oves, quas nunch ibi habeo, de tota vita sua tantum. Et quod de tota vita sua possit dicta Uxor mea oves et animalia, quae habebit, tenere in dicto Currallo; et etiam de tota vita sua possit tenere dicta Uxor mea dictas

oves, et animalia, et depascentur in terris, et pasturis dicti Castri, de Villa clara libere, et absque aliqua prestatione; et quod Jacobus filius meus permittat ipsam dictum Currallum, et dictas oves, et animalia in dictis pasturis, et terris tenere, et pasturare de tota vita sua absque aliquo impedimento.

Item volo et mando, quod nullus heredum meorum possit a liquam petitionem, seu demandam facere dictae Uxori meae ratione administrationis bonorum meorum quae gesit, vel geret, usque ad tempus mortis illius, et id ratione eorum quae habuit, et recepit, et receperit, et habuerit de bonis meis, vel nomine meo de quibus omnibus, et singulis ipsam immunem ab omni petitione, et pactum de non petendi ei facio. Et etiam de his, quae ipsa post mortem meam administraverit de bonis filiorum meorum nullam rationem, nec compositum reddere teneatur sed inde volo simplici ejus verbo Credi.

Item lego Berangario Olibrio decem libras Barchinonenses annuatim, quamdiu vivet, super censibus quos recipio in parairiis Perpiñani, sibi assignandas per dictum Petrum filium meum super sertis operatoriis dictarum parayriarum in quibus eas recipere possit, quandiu vivet. Post mortem vero ejus, revertantur dicto Petro filio meo, et suis.

Item lego dicto Petro filio meo jure institutionis, et nomine hereditatis suae omnes census, quos habeo, et percipio, in parairiis Perpiñani, et in possessionibus quae sunt in dictis Parairiis, et alibi infra Villam Perpiñani, et omnia foris capia, et dominia, et jura, quae habeo et percipio in quibus domu operatoriis, quae sunt in parairia primo facta in tenedone mea infra Villam Perpiñani excepto dicta Selarmondae filiae meae Violario in dictis viginti quinque libris Barchinonae Censualibus, in vita sua tantum, et excepto dicto Berengario Olibrio Violario suo in dictis decem libris Barchinone annualibus in Vita sua tantum.

Item lego eidem Petro filio meo, jure institutionis, et nomine hereditatis suae, quasdam domos, et ospitia cum omnibus earum juribus, et pertinentiis, quas habeo infra Monpallerium in Carreriis, sive prope Carrerias Socairiae, et Saunariae, et omnia terrae mirta, jura, et foris capia, quae habeo, et percipio, et habere, et percipere debebo in terris, et adjacencia Sancti Salvatoris de Canomals, et in hiis quae superius eidem Petro filio meo lego, ipsum heredem mihi instituo: Sub hoc pacto quod ipse Petrus filius meus, vel sui nihil petant, nec exigant, nec petere, nec exigere possint in bonis meis aliis, nec in bonis quae fuerunt dictae Astrugae matris suae quondam, nec questionem aliquam faciant, vel demandam in juditio vel extra juditium dictis Guillermo, et Jacobo, et Arnaldo filiis meis fratribus suis, vel suis, nec bonis eorum, nec in bonis quae fuerunt dictae Matris suae quondam, nec in bonis quae ego eis inferius legabo, et in quibus eos mihi heredes instituum ratione successionis legitimae, vel alia quacumque ratione, vel causa. Quod si fuerint, nolo ipsum Petrum filium meum habere in illo casu, si evenerit, de

predictis, quae sibi lego superius, nisi legitimam tantum sibi debitam de bonis meis, jurae naturae, quia tantum in illo casu nunch ut ex tunch, et tunch ut ex nunch, sibi lego jure institutionis et nomine hereditatis suae, et residuum quod supererit ultra dictam legitimam de predictis quae superius lego dicto Petro filio meo, in illo casu, si evenerit nunch ut ex tunch, et tunch ut ex nunch lego dictis Jacobo, et Arnaldo filiis meis aequis portionibus quod residuum volo ipsos habere, super censibus et foris capiis predictis, quos habeo in Villa Perpiñani.

Item volo quod dictus Petrus filius meus compleat et servet omnia supradicta, et infrascripta.

Item lego Jacobo filio meo praedicto jure institutionis et nomine hereditatis suae totum hospitium meum et vineas, et omnes universas possessiones, Dominia, laudimia, Census, Usatica, foris capia, et alia jura quae et quos habeo, et percipio in Castro, et Villa, et taesais de Coquolibrio, et in omni adjacencia Beatae Mariae de Coquolibrio, et omnia Vasa Vinaria, quae habeo tempore mortis meae in hospicio de Coquolibrio, et tertiam partem pannorum, et aesinarum ferri et fusti Cupri et terrae, et Vaxellae meae argenti, quas et quos habuero tempore mortis meae Ubique exceptis pannis rasinis, quos habuero tempore mortis meae in Alcharia mea de Biniatzar et in Alcharia mea, quam teneo ad manum meam, quae est de Cavallaria, quam emi, quae fuit Ordinis Sancti Sepulcri, et Vestibus meis, et Vino puro, quod habuero in Coquolibrio, tempore mortis meae, et mersibus, et navigiis, et pecciam et blado á solo separato, vel alias in domibus foveis vel horreis conservato, et acceptis hiis quae superius legavi dicte Uxori meae.

Item lego predicto Jacobo filio meo jure institutionis et nomine hereditatis suae, omnes vineas, et boscum, et sellarium, quae et quas habeo in territorio, et Vinneto de Perdigerio, et terris Sti. Joannis, de Bajulia de Mauritio.

Item totum territorium de Perdigerio, et de Biarrae, et de Paulits; et omnia jura et Dominia quae habeo et percipio in dicto territorio, et possessionibus ejusdem quae sunt in terris praedictis Sti. Joannis de Bajulia et omnes Mansatas, et omnia alia, quae habeo, et percipio in dictis terris, et in Valle de Bajulia de Mauritio; excepto dictae Alamandae Uxori meae Violario dictarum Mansatarum in vita sua tantum.

Item lego eidem Jacobo filio meo jure institutionis et nomine hereditatis suae omnes possessiones, jura, dominia, foris capia, bestiarium grosium, et bona omnia immobilia ad me pertinentia, et pertinere debentia qualicumque causa, vel ratione, in terris, et adjacentiis de Palatiolo de castri subtus Elnam de Sto. Sipriano, et de Villa rasa, et tene donem, quam emi, quae fuit Pontii de Alaniano Unde... in terris de Mosselionibus, et omnes aesinas, et pannos quas, et quos habuero tempore mortis meae in hospicio meo de Sto. Sipriano,

et omnia jura, dominia, foris capia, census, laudimia, Usatica, et omnia alia, quae et quos habeo, et percipio, et habere et percipere debebo in omnibus terris, et Villa de Argillariis, excepto Violario ejusdem, dicte Uxori meae in vita sua tantum: Et etiam jus Patronatus loci sacerdotale, quod institui in Ecclesia Sanctae Mariae Coquilbrii, in altari Beati Petri sito in eadem Ecclesia.

Item lego dicto Jacobo filio meo jure institutionis, et nomine hereditatis suae, totum quoddam hospitium quod habeo in Civitate Elnae, et omnia molendina quae habeo in tenementis, et terris Elnae, et omnia dominia, laudimia, census, et foris capia, et Viatica, et alia immobilia, quae et quos habeo, et percipio in Civitate Elnae, et territorio, et terris Sanctae Eulaliae Elnae; exceptis Censibus, foris capiis, et dominiis, et laudimiis, agrorum possessionum, qui sunt in dictis terris Elnae quae fuerunt de emptione, quam feci á Georgio de Petra Pertusia milite, quos, et quae jam dedi Eleemosinae, quam constitui in Coquilbriio, ut in instrumento inde facto continetur.

Item lego eidem Jacobo filio meo, jure institutionis, et nomine hereditatis suae Castrum de Villa clara cum juribus, et pertinentiis suis, et omnia Vasa, et aesinas, quas habuero. Tempore mortis meae in dicto castro, et etiam arma, et suppellectilia domorum et alia paramenta dicti castri: Exceptis etiam de predictis, quae superius lego dicto Jacobo filio meo, blado, et fabis á solo separatis, non autem in domibus foveis, vel orreis conservatis, et vino puro, et hiis quae legavi dictae Uxori meae.

Item lego dicto Jacobo filio meo, jure institutionis, et nomine hereditatis suae decem Ciminas frumenti censuales quolibet anno ad novenam mensuum pro Cimina, et ad rectam mensuram Elnae, et foris capium, et directum dominium, quae et quas habeo et percipio in quibusdam tenentiis sive terris, quas á me tenent liberi quondam Petri Olibri in tenemento de Darnaco, et in hiis, quae superius lego dicto Jacobo filio meo, ipsum mihi heredem instituo.

Item lego Arnaldo filio meo, jure institutionis, et nomine hereditatis suae Alcariam meam, cum olivariis, possessionibus, et aliis pertinentiis ejusdem, quam habeo in Regno Majoricarum in terminis de Buñiola loco vocato Beniatar et vocatur Mansus Blanch, quam emi ab Illustri Domino Rege Majoricarum, et quondam petiam terrae, quam habeo ibidem, quam emi á Petro Dalmasii de Majoricis, et affrontatur ex una parte cum olivario quod fuit Bernardi Rogini quondam, et ex alia cum olivario Arnaldi de Rimpullo.

Item Olivarium quod habeo in dictis terris de Buñiola, quod emi den Febrer, de Buñiola.

Item totum hospitium, quod habeo in Villa de Buñiola, et quoddam patium, quod habeo ante ipsum hospitium, et hortum, quem habeo in dictis terris de Buñiola, et quinque quarterias frumenti censuales quolibet anno,

quas habeo, et percipio in quadam tenedone quae est in dictis terminis de Buñiola; Item omnes sarracenos, et bestiarium aratorium, pannos, et omnes aesinas, quas et quos habuero tempore mortis meae in dicta Alcaria.

Item omnes illos census, quos Michael Rollandi de Majoricis, mihi, et nomine meo emit in Insula Majoricarum, qui census sunt, ut credo in Bajulia de Buñiola.

Item lego eidem Arnaldo filio meo, jure institutionis et nomine hereditatis suae hospitium, quod accipitavi sive acquisivi ab Illustri Domino Rege Majoricarum quod est in Civitate Majoricarum in tenentia, quae fuit Francisci Pertinentiae. Et etiam predictas duas botigas; quas habeo in civitate Majoricarum, quae fuerunt dicti Bernardi rogerii quondam, et omnes predictos census, quos recipio in Civitate Majoricarum, in dictis domibus, quae fuerunt dicti Bernardi, vel Petri de Vico quondam, excepto, et retento dictae Alaman-dae Uxori meae in Vita sua tantum Violario suo in ipsis botigiis, et censibus, ut superius dictum est.

Item lego eidem Arnaldo filio meo, jure quo supra tertiam partem pannorum, et aesinarum ferri et fusti, cupri, et terrae, et Vaxellae meae argenti, quos et quae habuero tempore mortis meae, ubique exceptis pannis rasinis, quos habeo in Castro meo de Villa clara, et in hospitio meo de Sancto Cipriano, et in Alcaria, quam ad manum meam teneo, quam emi, quae fuit Ordinis Sancti Sepulcri, et Vestibus meis, et mercibus, et navigiis, et pectiam, et vino puro, et oleo, et blado a solo separato, vel alias in domibus, foveis, vel orreis conservato, et in hiis, quae eidem Arnaldo filio meo superius lego ipsum heredem mihi instituo. Et si alter dictorum Jacobi, et Arnaldi, filiorum meorum decederet sine liberis, ex legitimo, et carnali matrimonio procreatis, et natis, quandocumque, substituo ei, alterum eorum super viventem, et liberos suos, et si ambo predicti Jacobus, et Arnaldus filii mei decederent sine liberis, ex legitimo et carnali matrimonio procreatis, et natis quandocumque substituo eis, Guillerum meum, et suos.

Item lego Guillermo filio meo jure institutionis, et nomine hereditatis suae decem libras mallorquinas, quas recipio, et Ego, et unus heres meus recipere debemus annuatim in festo Sti. Joannis de Junio super redditibus, et exhibitibus nobilis Domini Comitis Empuriarum quos habet in Villa de Soller, quae est in Regno Majoricarum; Quas decem libras Nobilis Pontius Ugonis Dei gratia Comes Empuriarum bonae memoriae mihi dedit, et assignavit in tota vita mea, in redditibus supradictis, et postea nobilis Ugo ejus filius Comes Empuriarum qn. dictam donationem confirmavii, et etiam uni ex infantibus meis post mortem meam, dictas decem libras habendas, et percipiendas quolibet anno in dicto festo super dictis redditibus dedit et assignavit, ut in instrumentis inde factis plenius continetur.

Item lego eidem Guillermo filio meo jure institutionis, et nomine here-

ditatis suae, omnes Alcarias meas de Bañiols, et Beniaur, quae sunt in Insula Majoricarum in Parrochia de Alarono, videlicet Dominia, jura, census, agraria, terramirta, foris capia, laudimia, fatigas, jurisdictiones, et omnia alia jura, et dominia, hic expresa, et non expresa quae habeo et habere debebo in dictis Alcariis.

Item Alcariam quae vocatur Mansum novum quae olim vocabatur Alcaria Sepulcri, quas praedictas Alcarias eidem Guillermo filio meo lego jure quo supra instructas, cum quibus partibus decimae, quas recipio in omnibus praedictis Alcariis, et cum jure patronatus Capellae, quae est in Civitate Majoricarum ad dictam Alcariam, sive Cavallariam Sepulcri pertinentis, et cum edificio meo quod se tenet cum dicta Capella, et cum omnibus censibus, et juribus mihi pertinentibus, ratione dictae Alcariae, sive Cavalleriae Sepulcri infra civitatem Majoricarum, et cum quinque, vel sex morabatinis censualibus quolibet anno, quos mihi facit, et prestare tenetur Leonardus Bertrandi de Majoricis pro quodam horto, quem tenet, qui est in dicta Caballaria cum captivis, bobus, et aliis animalibus, aratoriis, et aliis quibuscumque, et cum vasis vinariis, et presuris olei, et aliis omnibus bonis, et rebus mobilibus, semoventibus, quae sunt in dictis Alcariis, et erunt ibidem tam morandi, et existendi ad usum, et servitium dictarum Alcariarum, et cum omnibus augmentis ibidem factis, et faciendis in futurum per me et meos: Quas quidem Alcarias cum omnibus supradictis jam eidem Guillermo filio meo dedi, pro hereditate sua, cum instrumento publico inde facto, sub hoc pacto, quod ipse teneatur, facere pro praedictis equum armatum, pro ut debetur fieri, et teneri, ut in instrumento inde facto continetur, et etiam teneatur facere provisionem Sacerdotis dictae Capellae, et omnia alia servitia si qua debentur fieri pro praedictis, ut in predicto instrumento dictae donationis plenius continetur. Quae predictae Alcariae sive cavalleriae cum aliis praedictis consueverunt teneri in fendum pro dicto Domino Rege; Et ipse Dominus Rex affranquavit mihi eas cum omnibus praedictis de dicto feudo, et eas cum omnibus juribus, et aliis praedictis, et omnibus aliis ad eas pertinentibus, et pertinere debentibus, et quae eis pertinere consueverunt, mihi reduxit, et concessit in emphitessim: retentis mihi, et meis semper praedictis juribus, et aliis in instrumento dictae concessionis contentis.

Item lego eidem Guillermo filio meo jure institutionis, et nomine hereditatis suae totam Alcariam meam vocatam Benimala o Benicastell, quam habeo in Regno Majoricarum in Bajulia dicta in terris de Campaneto cum omnibus quarteriatis, et aliis terraemirtis, laudimiis, et foris capiis, Dominiis, censibus, juribus, et rationibus aliis ad ipsam Alcariam pertinentibus, et pertinere debentibus, et ad me ratione ejus Ubique. Quae Alcaria, est allodium meum francum, et liberum, et fuit Dominae Blanchae de Monte

Cateno quondam: Salvo et retento dictae Uxori meae Violario suo in eadem Alcaria et pertinentiis ejus, in vita sua tantum.

Item lego eidem Guillermo filio meo jure institutionis, et nomine hereditatis suae Alcariam, quam habeo in terris de Felanitx prope Castrum de Sancto Tuerio, cum omnibus juribus, et pertinentiis suis, quam ad opus mei, et nomine mei mihi emit Michael Rollandi non. Majoricarum. Et in hiis quae eidem Guillermo filio meo superius lego ipsum Guillerum heredem mihi instituo.

Item volo et mando quod dicta Sclarmunda filia mea in continenti cum solventur sibi dicta quatuor millia soliderum, et tradentur ei dicti Viginti quinque librae censuales, teneatur facere, et faciat dicto Petro filio meo, et aliis filiis meis masculis, et succesoribus eorum, instrumentum publicum diffinitionis de omnibus juribus quae habet, et haberet, et habere posset, et sibi pertinent, et pertinere possent in bonis, et hereditatibus eorum, et in bonis quae fuerunt Dominae Astrugae matris suae Uxoris meae quondam ratione successionis hereditatis Paternae, et Maternae, legati, legitimae, et supplementi legitimae falcidie et dotis dictae Matris suae, vel alio quocumque modo pro ut melius fieri poterit ad utilitatem eorum, absque aliquo retentu. Quod nisi facere voluerit nolo valere dictum legatum dictorum quatuor millium solidorum Barchinonensium, nec dictum legatum quod sibi superius facio in vita sua de dictis viginti quinque libris censualibus, nec ipsam ea habere sed dictus Petrus filius, et heres meus teneatur eidem filiae meae, et suis, in eo quod ipsa juste petere posset in bonis meis, et in bonis ipsorum filiorum meorum et in bonis quae fuerunt dictae matris suae quondam, et non alii heredes mei, ut superius dictum est, et si forte dicta Sclarmunda filia mea, vel sui faceret aliquam questionem, vel demandam in iudicio, vel extra Guillermo, et Jacobo, et Arnaldo filiis meis vel alteri eorum, vel suis in bonis, vel pro bonis, seu hereditatibus eorum, vel in bonis dictae Dominae Asbrugae matris ejus quondam, ratione successionis, et hereditatis paternae, vel maternae, legati, legitimae vel supplementi legitimae, falcidiae, vel dotis dictae Matris suae, vel etiam ratione successionis, vel substitutionis Joannis filii mei fratris sui quondam, vel quacumque alio modo, Volo et mando quod dictus Petrus filius et heres meus, et sui, propriis suis expensis, teneatur deffendere, et deffendant, inde ipsos Jacobum, et Guillerum, et Arnaldum filios meos, et succesores eorum in iudicis, et extra, contra omnes personas, et in se causas, lites, et Contraversias per ipsam filiam meam, vel suos mendas contra ipsos Guillerum, et Jacobum, et Arnaldum filios meos, et quemlibet eorum, vel suos suscipere, et ducere teneantur, suis propriis expensis, contra omnes personas tamdiu donec tali forma essent tractatae a quo ulterius non posset appellari, vel alias haberi recursus, et eidem filiae meae, vel suis satisfacere teneantur de bonis quae superius eidem Petro filio meo

lego, in eo quod ipsa vel sui juste petere possint in bonis meis, et in bonis, et hereditatibus eorundem Guillermi, et Jacobi, et Arnaldi filiorum meorum, et in bonis dictae Astrugae matris ejus quondam, et servare eos, et bona eorum inde penitus indemnes, et indemniam.

Item volo, et statuo quod si contigerit dictos Jacobum, et Arnaldum filios meos, et dictae Alamandae uxoris meae, seu alterum eorum decedere infra pupillarem etatem, quod dicta Alamanda mater eorum non succedat, nec succedere possit ei plenarie in aliquo, aliqua ratione, seu causa: Manumissores, et executores Ultimi mei testamenti, seu ultimae meae voluntati, facio, constituo, et ordino, scilicet, Arnaldum Frauerii Indicem dicti Domini Regis, et Dominum Berangarium Olibrium, Bernardum de Brossa mercatorem Majoricarum, Guillerum Sacoma Civem Majoricarum, et dictum Michaelem Rollandi, quibus, vel duobus ex eis, in solidum dono plenam, et liberam potestatem, in continenti post finem meum, eorum propria auctoritate, exigendi, et recipiendi omnia bona mea, mobilia, et nomina debitorum meorum, et comandarum: exceptis illis bonis mobilibus, quae superius legavi, et ex ipsis solvendi omnia legata per me relicta, et relinquenda, et debita quae debebo tempore mortis meae, et restituendi injurias meas, quae vere apparuerint simpliciter, et de plano secundum quod eis, vel duobus ex eis videbitur faciendum, et ad hoc, ut melius, et plenius memorati executores mei, vel duo ex eis possint complere praedicta, volo, et jubeo, quod ipsi, vel duo ex ipsis, recipiant eorum propria auctoritate per quinque annos continuos a die obitus mei, vel antea numerandos, vel per majus tempus, si opus fuerit, omnes redditus, exitus, et proventus, et possessiones, et fructus earum, et alia jura, quae et quos habeo, et percipio in tus earum, et alia jura, quae et quos habeo, et percipio in castris Villae, et terris de Coquolibrio, et de Argilariis, de Villa Clara, et de Elna, et in Vineto de Perdigario, et in territorio de Perdigario de Biarrae, et de Paulilis, et in tota adjacentia Sancti Joannis de Bajulia de Mauritio, et in toto Valle de Bajulia de Mauritio, et in Castris, Vallis, locis, et terris, et adjacentiis de Sancto Cipriano dicti termini de Palasiolo de Villa raosa, et de, Mossellionibus, et apud Majoricam, et in tota Insula Majorica: Et etiam omnes Sarracenos, et Sarracenas, et bestiarium, et alia apartamenta Alcariarum mearum de Majoricis, quae et quos habeo, et habeo tempore mortis meae: Exceptis hiis quae jam dedi dicto Guillermo filio meo, cum instrumento publico, quae sunt in Regno Majoricarum, et foris capiis, et censibus, quos recipio in Villa et Castro, et barriis de Coquolibrio, et hiis quae habeo, et recipio in Villa, et terminis de Argilariis, et dictis Mansatis, et bestiario, quae superius dictae Alamandae Uxori meae legavi. Et cum ipsis Sarracenis, bestiario et apartamentis teneant condirectas Alcarias praedictas per dictum tempus, et percipiant fructus inde provenientes, et transactis dictis quinque annis, vel majori tempore, si opus fuerit, ad

complendum voluntatem meam, Volo quod dicti Manumissores mei tradant, et restituant dictis Guillermo et Arnaldo filiis meis dictas hereditates, seu legata per me eis facta, cum illarum Sarracenis, et aliis apparatusibus pro ut ipsi recipient eas, et eo tempore mortis meae et dicto Jacobo filio meo, ea omnia, quae supetius sibi lego in terminis, et Villis de Coquolibrio, de Argilariis dicti termini de Palasiolo, et aliis locis supranominatis, et dictae Uxori meae dictam Alcariam de Benimala, ó de Benicastell, et dictas botigas, et dictos census dictarum Domorum, quae fuerunt dicti Bernardi vel Petri de Vico, et dictum hortum cum terrella, volo etiam, et mando quod ipsi Manumissores mei, vel duo ex ipsis sua propria autoritate in continenti post finem meum irrequisitis etiam heredibus meis praedictis vendant, et recipient omnes pecunias, quas habeo tempore mortis meae in societatibus quas habeo, vel habeo tempore mortis meae cum dicto Bernardo de Brossa, et omnem aliam pecuniam meam, et debita, et Commandas, quae mihi debebunt tempore mortis meae ex navigiis; et merces meas, et etiam Vinum primum, et bladum, et fabas, separatim et separatas, á solo, vel alias in domibus, foveis, vel orreis, conservatum, et conservatas, et oleum quod habeo tempore mortis meae: retentis tamen ad opus hospitii mei de Coquolibrio, et Alcariae meae de Benietzar hiis quae necessaria essent, et fuerint in dictis hospitio, et Alcaria, illo anno quo desesero usquequo recipientur bladum, et Vinum novella in sequenti anno de honoribus, et possessionibus praedictis. Et de praedictis quae per ipsos Manumissores mando recipi, et vendi, ut dictum est, deductis prius inde Victu, et Vestitu, et omnibus necessariis dictae Almandae Uxoris meae, et dictorum Jacobi, et Arnaldi filiorum meorum, et familiae eorum, bené et honorificé, quos eisdem de dictis redditibus prestare teneantur, et deductis, et retentis eidem Uxori meae bestiaro, quod superius sibi legavi, et censibus, et foris capiis, quos et quae habeo, et recipio in Castro, et Villa, et barriis de Coquolibrio: Et hiis quae habeo, et recipio in Villa, et terminis Argilariis, et dictis mansatis, et juribus eorum solvantur, et restituantur, et solvere, et restituere teneantur, etiam sine consensu dictorum heredum meorum, eorum propria autoritate, omnia legata mea, et debita et comandus, quae debebo tempore mortis meae, et omnes injurias meas, quae vere apparuerint plenarie et integre. Preterea dono tutores, et Curatores dictis Jacobo et Arnaldo filiis meis dictam Uxorem meam matrem eorum, et dictos Arnaldum traversii, et Berangarium Olibrium, et addo in tutores et Curatores, et dono dicto Arnaldo filio meo dictos Bernardum de Brossa, et Guillemmum Cecoma, et Michaellem Rotlandi, quos omnes, Vel duo ex eis, una cum dicta Uxore mea habeant potestatem gubernandi, et administrandi, omnia bona dictorum Jacobi, et Arnaldi filiorum meorum, et nolo, nec intelligo, quod dicti tutores, et Curatores, nec etiam Manumissores praedicti de hiis quae facient, seu ministrabunt, de dictis bonis, teneantur facere inventarium, imo

eisdem exprese, et per verba expressa inhihero atque veto, et relevo eos ab onere conficiendi inventarium de predictis bonis.

Item si aliqua de bonis meis mobilibus quae in hoc meo testamento certis personis non legavi superarent, solutis debitis, et legatis meis, et restitutis injuriis meis sique veré apparuerint ea quae inde superarent lego déctis Jacobo, et Arnaldo filiis miis equis portionibus.

Item volo et mando, quod dictus Petrus filius meus faciat dictis Guillermo, et Jacobo, et Arnaldo filiis meis diffinitionem cum publico instrumento, in et de bonis dictae Astrugae Matris suae quondam, et de jure quod habet, et habere posset in bonis per me eis legatis, et in vinea de la Gardía, quae est in terminis Coquolibrii, ratione successionis hereditatis legati, legitimae et suplementi legitimae falcidiae et dotis dictae Matris suae, et hereditatis successionis, et substitutionis Joannis filii mei fratris sui quondam, vel quocumque alio modo, ratione, seu causa.





Item volo, et mando, quod de omnibus questionibus et de mandis quas sacrista de Palatio movere voluerit contra me et heredes meos ratione dicti Castri de Villa Clara, stetur de terminationi dicti Arnaldi traversii, et alterius quem dictas Sacrista duxerit aligendum.

Item approbo, et confirmo illam obligationem quam feci Petro Rippiae mercatori Perpiñani cum instrumento publico de censibus meis, quos recipio in parairiis Perpiñani, et in Villa Perpiñani pro solvenda illa pecuniae quantitate, quam debebam dicto Domino Regi, ad quam solvendam ipse Petrus rippia se obligavit, ut in dicto instrumento continetur. In omnibus vero aliis bonis meis mobilibus, et immobilibus, et juribus quecumque sint, et uticumque instituo mihi heredes universales dictos Jacobum, et Arnaldum filios meos equis partibus. Et si contigeret apparere aliqua alia onera hereditaria propter debita, quae debebo tempore mortis meae, et alia quae solvi jussi in hoc presenti meo testamento, et jubebo in codicillis in futurum per me faciendis illa onera, dicti Petrus, Guillelmus, et Sclaramonda filii mei habeant subire una cum dictis heredibus meis universalibus, ad illa habeant conferre pro quarta parte eorum quae eis dedi et legavi de bonis meis proportionaliter, et proratta. Et confidens de legalitate, bonitate, excellentia, ac etiam gratia et dilectione quam erga me, et negotia mea dictus Dominus meus Rex Majoricarum in vita mea dignatus fuit se habere supplico eidem Domino Regi humiliter, et devote, ut in tempore majoris necessitatis scilicet post mortem meam erga animam meam, et mea negotia respiciet, et liberos meos custodiat taliter quod sua Excellentia placuerit. Ut ea quae superius sunt per me ordinata inviolabiliter observentur.


Item volo, et mando quod dicti mei manumissores dent et tradant dicto Petro filio meo omnia instrumenta mea pertinentia, et pertinere debentia, ad hereditatem sive bona, quae eidem Petro supra lego, et in quibus ipsum mih

heredem institui. Similiter tradant dictis Guillermo, et Jacobo, et Arnaldo filiis meis, et dictae Alamandae matri eorum nomine eorum instrumenta pertinentia ad hereditatem, sive bona per me eis supra legata, et in quibus ipsos supra heredes mihi institui: Et si qua instrumenta, et privilegia sunt comunia, tradantur dictis Guillermo, et Jacobo, et Arnaldo filiis meis, et dictae Matri eorum, nomine eorum.

Item ex certa scientia, revoco, casso, et anullo omnia alia testamenta, ei codicillos per me facta, et factos huc noque excepto hoc presenti meo testamento, quod semper valere volo: Et volo quod dicta moneta Barchinonae sexaginta quinque solidi, valeant unam marcham argenti fini, rectipensi Perpiñani.

Hoc est mea, extrema voluntas, quam semper inviolabiliter servari percipio, quod si non valet jure testamenti saltem valeat jure codicillorum, seu cuius libet alterius ultimae meae voluntalis. Actum est hoc pridie nonis Novembris anno Domini millessimo trecentesimo sexto. Sig—num Guillermi de Podiorfila testatoris praedicti, qui hoc meum testamentum laudo, approvo, ratifico, et confirmo: testescf. firmere rogo Sig    na fratris Petri de Rubi presbiteri Ecclesiae Beatae Mariae de Coquolibrio ordinis hospitalis Sancti Joannis Hyerosolimitani, Iuliani fabri presbiteri de N. Petri Marcerii Presbiteri Perpiñani, Petri Martini, Guillermi Campamari, Bernardi Janse, et Petri Porrassa Clerici, omnium de Coquolibrio, et Petri Conrera, et Laurentii Placencia Scriptoris dicti Domini Regis, testium rogatorum; Ego Guillelmus Nemprot hoc testamentum scripsi vice Arnaldi Isarni. Suprascripti in quarta linea, et *Arnaldum*, et in septima *infrascriptos*, et in undecima *suum*, et in vigesima secunda linea *praedicti*, et in trigesima tertia linea *lego*, et in sexagesima octava linea *meum*, septuagesima octava linea, et *restituere*, et in septuagesima nona linea, *dictos Bernardum de Brossa*, et in linea octuagesima tertia, *Rippias*, et in octuagesima nona linea, *Approbo, ratifico*, et vasi et emmendavi, in sexagesima linea, liberam pot Fem. Arnaldus Ifarni Scriptori publicus Perpiñani Scripsit et hoc sig  num fecit.

Nos Jacobus Dei gratia Rex Majoricarum, scientes dictum Guillelmum de Podiorfila jam aliud testamentum fecisse, et Nos ad instantiam ejusdem ipsum laudasse, et auctoritatem nostram eidem dedisse: Verumtamen cum dictus Guillelmus de Podiorfila illud revocaverit, et presens testamentum facerit, ex certa scientia, dictum laudamentum, et dictam auctoritatem quod, et quam in dicto alio testamento fecimus, et prestitimus revocamus, et omnibus et singulis in hoc presenti testamento ordinatis, et aliis per eum ordinandis in codicillis, si quos in antea faciet, nostram auctoritatem prestamus, et omnia et singula in dictis decernimus, ut perpetuo sicut ordinata sunt compleantur, et auxilium, consilium, et asensum prestatimus, et inviolabiliter predicta, et singula faciemus observari, et predicta per nos, et omnes successo-

aes nostros promittimus dilecto, et fideli nostro Guillermo de Podiorphila
 predicta attendere, et complere, et scriptori publico supradicto nomine
 omnium quorum interest, et potest, ac poterit interesse, stipulare et perficere
 aliquos etiam defectus, sive ex parte testatoris, sive ex parte eorum, quibus
 in hoc presenti testamento legantur, et heredes instituuntur juxta omnia jura,
 de plenitudine regali potestate supplemus, et volumus ipsos habere testamenti
 actionem, et habilitamus eos, eo modo quo presens testamentum valet, et ipsi
 sint capaces ad ea quae eis dimittuntur, seu legantur, et instituuntur heredes,
 et etiamsi quid odmissum est de solempnitate, seu substantia, quae in testat
 mentis adesse debent: Nos de predicta potestate, predicta omnia supplemus, ei
 volumus hanc presentem ordinationem dicti Guillermi de Podiorphila per
 petuo, et inviolabiliter sibi, et omnia tamquam testamentum, solempne obser
 vari ab omnibus universis, et singulis non obstantibus aliquibus juribus
 presens ordinatio in totum vel in partem posset infringi, seu revocari, seu
 annullari, nec possit obici, quod praedicta jura per nos expressim hic non
 fuerint continuata, quia perinde volumus certa scientia ea quantum ad hoc
 esse sublata, et non posse sibi locum vindicare, ac si nominatim, et expressim
 hic essent per nos expresata, et nominata. Et ad majorem eorum omnium
 firmitatem, et valorem, huic testamento, nostrum jussimus expendi signum.
 Quod est actum octavo Idus Novembris anno Domini Millessimo tercentessi
 mo sexto; presentibus testibus Petro Rubí, Petro Porrassa, Petro Plasensa et
 me Laurentio Plasensa scriptore prefati Domini Nostri Regis, qui suo man
 dato hoc scripsi, et clausi, et subsignavi meo publico, et solito Sig  no.